

Vk
1765

AD
ANNIVERSARIAM ORATIONEM
IN
MEMORIAM
GODOFREDI
HOFFMANNI,

DOCTORIS OLIM ET MODERATORIS DE GYMNASIO
ZITTAVIENSI EXCELLENTER PROMERITI,

PROXIMA DIE MARTIS d. XXVII. OCTOBR. MDCCLXVII.
HORA VIII.

AB SE HABENDAM

INVITAT

SIMULQUE

DE

HERMANNO, PRIMO MARCHIONE IN LU-
SATIA SUPERIORI

EXPONIT

ADAM DANIEL RICHTERVS,
Gymnaf. Direct.

ZITTAVIAE LITTERIS K. H. N. I. L.



Quam non ita diu in Programmate de *Rebus Antiquis Superioris Lusatiae* pauca infimul de *primis Marchionibus* nondum haereditariis adjecti, jam plura quaedam de *Hermanno*, primo *Marchione Superioris Lusatiae*, ex *Ditmaro* collecta, sigillatim exponere animus est.

Patrem habuit *Hermannus*, *Marchio* noster, *Eccardus I. Marchionem in Mifnia et Thuringia*, fortissimum heroem, *Güntheri*, *Marchionis in Thuringia* filium inque monasterio *Pöldenfi*, quod regni usurpator esset, anno 1002. d. 29. April. per insidias intererem, *Suonebilda* matre natus, *Ducis Saxoniae Bernhardi* sorore si que filia *Hermannii Billingi*, quæ, *Thitnari*, *Marchionis inter Albim et Salam*, circiter anno 978. demortui vidua facta, *Eccardo I.* patri *Hermannii* nupserat, vid. *Dit. L. IV. Helmstadi a Madero edit.* ao 1667. p. 80. Fratres *Hermannii* nostri fuerunt *Eccardus II.* qui post mortem *Hermannii* itidem *Marchio in Mifnia* factus est, et *Güntherus*, cujus mors iuxta ac vita penitus obscura latet, nisi quod *Ditmarus Güntherum*, fratrem *Hermannii*, exsequis *Geronis*, qui *Marchio inter Albim et Salam* fuit, infimul adfuisse commemorat. *L. VII. p. 196.* Sorores autem *Hermannus* habuit 1) *Luitgerdam*, *Wirinbarii*, *Comitis*, qui filius fuit *Lutharii*, *Marchionis in Thuringia Septentrionali*, uxorem, vid. *Ditm. L. VI. p. 172.* 2) *Mathildem*, *Theodorici II. Marchionis Orientalis in Lusatia et Comitum Heiburgensis*, ao. 1034. defuncti, uxorem, vid. *Chronic. M. S. ad a. 1171.* et 3) *Odam*, quæ diu desiderata tandem ao. 1018. *Boleslao Polonorum Duci* nuptum data est, vid. *Ditm. L. VIII. p. 232.*

Hermannus autem ita genitus itaque educatus erat, ut, quum primum adolevit ætas, nec ad labores belli sustinendos nec ad hostes opprimendos legnis esset, et jam ao. 1002, a patre contra *Wilhelmum*, *Wimariensem Comitem*, ad *Wittikindam* et *Hermannii*, quos beneficiarios *Eccardi* fuisse suspicamur, vindicandam necem, a filio ejus illam missus præclara virtutis documenta in obsidione *Wimariæ* ederet *Wilhelmumque Comitem*, ad pacem cogeret. Pax autem ita convenire debebat, ut *Wilhelmus* in præsentiam *Hermannii* veniret et, quicquid ab eo exposceret, juraro se impleturum esse promitteret. *Vid. Dit. L. V. p. 108.* Hæc atque alia eodem pertinencia *Hermannus* quum maxime ageret, intervenit nuntius de nece Parentis *Eccardi I.* noctu inopinata vi inimicorum hoc eodem anno d. II. Kal. Maji *Poleti* in lignea caminata, præsertim vero hasta *Siegfridi*, *Comitis Nordtheimensis*, fortiter immissa occisi, qui deinde, scelere parrato fuga sibi consulentes, funus *Eccardi* capite ablesso prædati sunt, *Ditm. ibid. p. 107.* Accepta igitur nece Parentis celeriter *Hermannus* cum matre occurrit *Patrisque* corpus ingenti luctu suscipiens *Ienæ* tunc sepeliri fecit. *Ditm. ib. p. 108.* *Ienæ* autem deinceps corpus *Eccardi Numburgum* abductum esse ex veteri *Chronico Ducum Brunsvicensium apud Leipnizianum T. II. Script. Rer. Brunsvic. p. 14.* novimus.

Squalore et luctu per triginta dies solemniter peracto *Hermannus* noster, statim post mortem *Patris* ab *Imperatore* ipse sine dubio *Marchio in Mifnia* constitutus, *Mifniam* quidem abiit, matre et fratre *Eccardo* comitantibus, sed *Boleslao*, *Ducem Bobemie*, qui, lætus de morte *Eccardi*, *Geronis Marchiani* circa *Albim* jacentem et *Budissinam* armata manu interim jam ceperat, moxque *Strelam* invaserat, hostem et *Mifnenses* pecunia corrumpere clam tentantem invenit. *Ditm. L. V. p. 108.* Quum igitur die quodam præsidii maxima multitudo pabulatum exiisset, *Mifnenses* lætissimi, *Bruccione* autem *Hermannii* satellite primum occiso, ad *Caminatam*, quam *Ditmarus* dicit, *Hermannii*, *Guncelino*, qui, *Boleslai* ex matre *Dobrowa* frater, invidia et *Eccardine* sobolis odio incitatus *Marchian* sibi *Polonorum* ope atque auxiliis obrinere conabatur, ad hoc duce facto, omnes armati conveniunt, *Domini* urbis, *Olerum* nomine, sibi ad occidendum reddi postulant. Mœniti hujus sui furoris emendationem et ut non amplius infida omni atque in-

ſeſta facerent, fruſtra vero, *Boleſlaus* deinde per internuntios acceſſunt, portisque aperitis ſuſcepiunt, qua proſperitate *Boleſlaus* elatus omnes regionis illius terminos uſque ad *Elſtram* fluvium præoccupavit præſidiisque ſuis munit. *Vid. Ditm. ibid. p. 108. et 109.*

His rebus tandem poſt varias aſperitates belli, per tres continuos annos excitatas, ita tranquillitatis ut *Imperator, Henricus II.* precibus *Boleſlai, Ducis Poloniæ*, ægre tamen et non niſi redditis quidem prius *Luitizi* et *Milcieni* regionibus commotus, *Guncelino*, qui tunc hac fidei ſpe *Imperatoris* animum ſibi conciliaverat, quod *Boleſlaum*, fratrem, quum *Miſenam* urbem ſibi repoſceret, magna conſtantia ſefellerat, *Ditm. L. V. p. 115. Miſniam, Milcenis* autem, jam tunc demum, prout conſpicere licet, a *Miſnia* cum pagis ſuis diſiſis ſuas peculiarias rationes daret, *Hermannus* deinde primus *Milcenorum* *Marchio* ſeparatim conſtitutus eſt, ſine dubio jam ao. 1005. in hac *Marchiam* ſuam immiſſus, quum hoc eodem anno *Henricus, Imperator, Budiſſinam*, quæ, *Boleſlao* id per ſuum nuntium jubente, ſe *Imperatori* paulo ante, ſalvis tamen deſenſoribus, tradiderat, tunc ipſe poſſideret, urbs autem præſidio novo munita eſt. *Vid. Ditm. L. VI. p. 133.*

Non inique creditur, quia *Boleſlaus* ao. 1003. in ſua expeditione bellica ad *Albim* juſſit, ut ne *Strela* civitas quiequam timeret, quum ſux dōs eſſet filiz, *vid. Ditm. L. V. p. 115* jam ao. 1002. factum eſſe, ut *Hermannus, Marchio* noſter, hujus *Boleſlai* filiam, cui hæc ſuam civitatem *Strelam* dotis quidem loco *Hermannus* dederat, ex matre *Conilde*, terra ejus uxore, *Venerabilis* autem *Senioris Dobreniri* filia, quæ, *Chriſto* fidelis, ad omne bonum inſtabilem et perverſam conjugis ſui *Boleſlai* mentem a vitioſis declinare ſemper ſtudit, et immenſa cleemoſynarum largitate et abſtinentia utriuſque maculas abluere non deſtitit, naru ſecunda, et cujus ſoror junior Regis *Ruſſorum Valodomiſi* filio nupta fuit, *vid. Ditm. L. IV. p. 91.* matrimonio ſibi conciliaverit, iſta quidem mente, quæ non iniqua conſectura eſt, ut de hac ſua uxore *Marchiam* ſuam ſibi ab *Imperatore* traditam eo magis obtinere poſſet ſine periculo.

Quæ vero ſpes vehementer ſeſellit. Sicut enim experientia cognovit eſt, plus periculi imminere in adminiſtratione regni ab iis, qui languine vel aſſinitate vel amicitia proximi ſunt, quam ab hoſte ipſo; ita etiam *Boleſlaus*, quum jam anno 1005. nec non ao. 1006. multas moleſtias molitus gratiam delicti ut faceret *Imperatorem* petiſſet, ſed nunc anno 1007. contra *Imperatorem* denuo etiam inſurgere cuperet, *Hermannum* noſtrum hoc eodem anno 1007. ab *Imperatore* miſſum, ut condicta pacis fœdera illi interdiceret ac bellum indicaret, non ſolum non bene ſuſcepit, licet ſapius ad ſe invitatum, *Ditm. L. VI. p. 141.* ſed etiam non longe poſt civitatem *Budiſſinæ*, *Hermannus* præſidio munitam anxia tamen obſidione fatigatam, quod *Hermannus Magdeburgi* ipſe præſens ſuſpectias fruſtra quaſiſſet, genero ſuo ereptam ſibi recuperavit, militibus tamen, qui triſtes patriam reperebant, libero abitu conſeſſo, *Vid. Ditm. L. VI. p. 142.* Quæ deinde civitas per viginti quinque annos penes *Polonos* fuit, donec ao. 1032. quum *Hermannus* non amplius in vivis eſſet, *Polonicis Ducibus* denuo erepta ſit, teſte *Wipone* in *Vita Conradi Salici.*

Ruſſus ao. 1009. cum *Guncelino, Marchione* in *Miſnia*, erat *Hermannus* noſtero ſine ulla ſua ipſius culpa certamen. Non autem incurſiones in agros *Hermannus* hæreditarios, ſiquidem *Pater* illius *Eccardus I.* maximam partem beneficii ſui, id quod de prædiis quibusdam et ditionibus *Miſniæ* allodii jure *Eccardo* conſeſſis intelligendum eſt, in proprietatem ab *Imperatore* acceperat, *Ditm. L. V. p. 107.* ſolum in cautela erant, ſed latrocinia ſuorum quæ *Guncelinus* neutiquam compeſcebat, ut *Hermannus* tandem more in *Miſnia* adhuc inuſitato cum illo conſiſſeret. Quum enim *Guncelinus* in hoc bello *Strelam* civitatem, militibus *Hermannus* manitam, expugnare non poſſet, urbem vero *Rochlitz*, tunc non bene cuſtoditam, incendiis conſumere præcipere et, quicquid *Hermannus* nocere poterat, nullatenus diſ-

ferret, *Hermannus* deinde *Castellum* quoddam, juxta *Salam* situm et *Guncelino* unice dilectore, non solum opera *Eccardi*, fratris, expugnavit, sed radicatus etiam dejectum incendio consumulit. *Vid. Ditm. L. VI. p. 113.*

Imperator, qui confestim ad hæc discutienda *Mersburgum* properabat, quum animadverteret, quod omnis culpa illarum rerum *Guncelino* imputanda sit, et quod se *Imperator* speravisset, in illato dedecore se ultorem non expectasset, familias multorum *Judeis* vendidisset et iussu suo non reddidisset, latrocinia suorum, qui multis nocere ausi essent, non cohibuisset, *Boleslaum* autem fratrem plus, quam deceret, adjuvisset, et multi tandem dicerent, quod criminis *laesae Majestatis* reus esset, *Guncelinum* publice damnavit et *Arnulpho*, *Halberstadiensis Episcopo*, in custodiam dedit, *Marchiam* autem *Misniae*, *Friderico* tunc, sine dubio *Comiti* *Urburgensi* et *Dominico* in *Seuffels*, ad tempus interim commissam, proxima messe interventu *Reginae* et instinctu sibi chari *Tagmonis*, *Archiepiscopi Magdeburgensis*, *Hermanno* nostro tradidit. *Vid. Ditm. L. VI. p. 113. 114.*

Veniebat quidem pridie, quam *Hermannus* adventaret, magna caterva *Polonorum* noctu silentis usque ad portam *Misniae* urbis, quæ vero, quia porta politis ibidem militibus non patebat, tristis ad suum *Boleslaum*, anxie inter spem et metum *Budisinae* commorantem, confestim reversa est. *Hermannus* igitur statim post hæc per *Nantium Regalem* in hanc nunc suam *Marchiam Misnensem* introductus est, et debitoribus suis, quum a natura ad humanitatem lenitatemque propensus esset, quicquid deliquerant, non solum remisit, sed detractetiam, ut eo magis sibi omnium animos conciliaret, sua viam hanc veniam affirmavit. *Vid. Dit. L. VI. p. 114. 115.*

Anno 1011. expeditionem, post Pascha acriter indictam, quum *Imperator* contra *Boleslaum* ob contumeliam et damnum sibi illatum susciperet, in itinere autem suscepto infirmaretur, *Hermannus* noster cum *Arnulpho*, *Halberstadiensis* et *Meinwero*, *Paderbornensi Episcopo*, cum *Jarimiro*, *Bohemæ Duce*, et *Gerone*, *Marchione* inter *Albim* et *Salam*, non solum pugos *Cilenfis* et *Didesis*, *Imperator* ita jubente, vastarunt, sed etiam ad urbem *Glogoviam* late magnum hostibus damnum intulerunt, omnibus circumquaque jacentibus miserabiliter vastatis. *Vid. Ditm. L. VI. p. 115. 116.*

Anno 1013. *Imperator* nuntios quidem *Boleslai* pacem petentes audivit, et in conventu *Mersburgensi* pacem etiam *Boleslao* dedit, verum *Boleslaus* sua ferocia incitatus nunquam desinit motus excitare, et, immemor fidei datæ, *Imperatorem* omnibus suspicium reddere, *Ditm. L. VI. p. 174* et *176*. Itaque *Imperator* *Boleslaum* anno 1015. ad causam dicendam accersiri iussit, sine dubio pec *Hermannum* nostrum nuntium, quippe qui hoc eodem anno Pascha cum *Boleslao*, fuero suo, celebravit, et inde vix solutus ad *Imperatorem*, cum nuncio *Boleslai*, du expectatus rediit. *Ditm. L. VII. p. 185. 188*. Cognita deinde infidelitate *Boleslai*, et quod *Legatus* ejus, homo fallax et mentiri solitus, magis ad perturbandum quam ad pacificandum, uti simulaverat, missus esset, mox denuo bellum ad contumaciam *Boleslai* vindicandam decretum est, in quo quidem bello cum multis aliis *Gero*, *Marchio* inter *Albim* et *Salam*, occisus est, cujus et fecit ejus *Widnedi* funus iussu *Imperatoris* ad urbem *Misniam* redactum, *Hermannus* noster ibidem sebliter suscepit et ad *Urbem Novam* cum fratribus suis, *Gunthero* et *Eccardo*, comitatus est. *Ditm. L. VII. p. 190. 188. 192. 195. 196*. Inter hæc *Imperator* cum suis ad urbem *Strelam* pervenit, et *Hermanum*, sciens, *Misconem* filium *Boleslai* cum exercitu subsequi, ad *Misnensis Civitatis* defensionem propere iussit. *Ditm. L. VII. p. 196*. Quum *Miseco* autem, Id. Septembr. *Albim* juxta *Misniam* cum exercitu transgressus, suburbium incenderet, nec non *Castellum* duobus in locis accensum infatigabiliter aggrederetur, *Hermannus* statim mulieres, ob paucitatem militum, ad succurrendum hortatur, quæ deinde non solum viros lapidibus adjuvant, fed ignem etiam impositum, quum aqua deficeret, medone extinguunt. *Ditm. L. VII. p. 196*. *Imperator* igitur, hæc audiens, *Hermanno*, *Marchioni*, ad succurrendum, quosunque tunc colligere potuit, prope mittit, suburbium non longe post redintegrare præcipiens. *Ditm. ib. p. 197*. Hoc eodem anno 1015. *Hermannus* noster corpus *Episcopi Misnensis*, *Eudonis*, *Lispæ* tunc demortui, qui *Coldæii* quidem tumulari voluit, *Misniæ* sepeliri iussit, sperans fore, ut precibus ejus locus sibi a *Domino* paratus haud dubie adjuvari possit. *Vid. Ditm. ibidem p. 198. 199*.

Anno 1017. *Hermannus* noster ab *Imperatore* jubebatur, ut tres villas, quæ sub *Episcopo Cilenfis*, *Eilhardo*, erant, aut *Misnensis Ecclesiae* faciliamento retineret, aut *Ditmaro Episcopo Mersburgensi* redderet, quæ quidem res satis perspicue docet, *Hermannum*, *Marchionem Misnensem*, in *Episcopatu Misnensi* Advocatum fuisse. *Vid. Ditm. L. VII. p. 117*. Hoc eodem anno 1017. fortius quidam *Hermani* nostri, in continuatione belli contra *Boleslaum* in vallis *Lusitiorum* *Deae*

formam lapide trajecerat, et quum *Luitici* hoc dedecus *Deae* suae illatum redeuntes *Imperatori* quoque essent, ad amendationem XII. talenta ab *Imperatore* percipiunt. *Vid. Ditm. L. VII. p. 223.*

Anno 1018. *Hermannus* noster interfuit pacificationi, quae cum *Boleslao* jussu *Imperatoris* stansida *Boleslai*, qui jam nunc ipse aggressionibus cladibusque fatigatus erat, supplicatione *Budissinae* d. III. Calend. Febr. sacramentis firmata est, qui deinde *Boleslaus* post quatuor dies *Odami*, sororem *Hermanni* nostri, diu desideratam nuptum sibi tandem datam obtinuit. *Ditm. L. VIII. p. 232.* Hoc eodem anno 1018. *Imperator Henricus Forestum*, quem *Otto II.* pro sua larga benignitate inter *Salam* et *Mildam*, fluvios, et *Siaris* et *Plisni* pagos jacentem *Ecclesiae Mersenburgensis* temporibus *Gisleri*, *Antistiti*, et *Guntheri*, *Marchionis* donaverat, quum *Marchio Eccardus I.* post lugubrem destructionem *Sedis Episcopi Mersenburgensis* anno 981. factam regnante tunc *tertio Ottone*, illum cum suo *Foresto*, quem ad locum *Sumeringi* dictum acquisiverat, commutasset, *Ecclesiae Mersenburgensis* judiciaria lege restituit, *Hermanno* et *Eccardo*, fratribus, non valentibus defendere illum *Forestum* suum esse. *Ditm. L. VIII. p. 245.* Nihilominus autem *Hermanno* placuit, quum hunc *Forestum* LX. manſis ex potestate *Episcopi* nullatenus redimere posset, ut sibi illum eum fratre *Eccardo*, propter duorum proprietatem *Burgwardorum Rochlitz* ac *Imperatoris* praecipua ad se attinentem, denuo adhuc in praesentia *Imperatoris Magdeburgi* vindicare, frustra tamen, quia praecipua et munera *Ecclesiae Magdeburgensis* in omnibus priora erant, contenderent. Itaque non longe post *Eccardus* frater denuo ibidem venationes et novas turbationes instituit, donec tandem, quum *Episcopus* totam causam ad *Imperatorem* per Legatum detulisset, *Eccardus* quidem, frater, post vero etiam *Hermannus*, a *Polonia* veniens, pacem promitterent, quam tamen uterque non bene servavit. *Vid. Ditm. L. VIII. p. 245. et 246.*

Haec sunt, quae in *Ditmaro* dispersa de *Hermanno*, primo *Marchione* in *Lusatia Superiori* reperire potui, quibus addo *Sedis Episcopalis Circa Numburgum* translationem, *Hermanni* juxta ac *Eccardi*, fratris, auspiciis anno 1029. factam, de qua litterae *Pontificis* et *Imperatoris*, *Conradi II.* apud *Sagittarium* in *Historia Eccardi* sunt.

Ceterum ex his omnibus facile nunc intelligas, quod *Hermannus* justitiae et aequitatis amans, calamitatum et injuriarum patiens, humanus, pius, vir magnus, qui apud *Imperatorem* multum valebat, et saeculo suo potens heros fuit.

De ipsius autem mortis genere certum non constat, nisi testimonium *Fabricii* in *Orig. Sax. L. III. p. 397.* et *Lapides* quid certi habeant, citati a *Summe Reverendo Wellero*, *Antiquitate rerum sacrarum Zwickaviae dignissimo*, *Viro* in rebus *praeſcis Patriae insigniter erudito*, quod nimirum *Hermannus* noster in pugna contra *Slavos* ao. 1030. haud procul a pago *Weißbach* in montana regione inter *Schneebergam* et *Zwickaviam* occisus ibidemque sepultus sit. *Vid. Welseri Altes aus allen Theilen der Geschichte, T. II. p. 160. seqq.*

Haec praemissa missa nunc facio, ut tranſeam ad *B. Godofredum Hoffmannum*, olim in *Lusatia* nostra *Virum excellentem eruditum et Gymnasti nostri*, quum in vivis esset, *Doforem celeberrimum*, cujus memoriam *craftiana luce publice dicendo* renovabo.

Rogo itaque omni pietate et observantia, ut *Magnificus et Amplissimus Senatus, Antiquitates rerum sacrarum Venerabiles*, alique *Fautores et Amici* huic nostrae *Orationi* benevole interesse haud graventur. R. R. XIX, Trinit. MDCCLXVII.

X 336 2631

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of handwritten text, appearing to be a letter or document.

Handwritten text block, possibly a signature or a specific section of the document.

Handwritten text block, possibly a signature or a specific section of the document.

Handwritten text block, possibly a signature or a specific section of the document.

Handwritten text block, possibly a signature or a specific section of the document.

Handwritten text block, possibly a signature or a specific section of the document.

Handwritten text block, possibly a signature or a specific section of the document.

2435

Vk
1765

AD
ANNIVERSARIAM ORATIONEM
IN
MEMORIAM
GODOFREDI
FFMANNI,

IM ET MODERATORIS DE GYMNASIO
IENSI EXCELLENTER PROMERITI,

E MARTIS d. XXVII. OCTOBR, MDCCLXVII,
HORA VIII.

AB SE HABENDAM

INVITAT

SIMULQUE

DE

, PRIMO MARCHIONE IN LU-
SATIA SUPERIORI

EXPONIT

DANIEL RICHTERVS,
Gymnaf. Direct.

AVIAE LITTERIS K. HNIL.

